

equum tuum, in quo baptizatus in albis sedisti in urbe Roma [a] et per Apostolorum et martyrum limina circuisti, et in hunc sedens, tene labarum tuum, quod signo Christi ex auro et gemmis est pictum. Hoc labarum tenens in dextera tua, dimitte frænum equi tui, et quo eum deduxerit Angelus Dei [b], illuc eat. Tu autem, fixo cuspide labari in terram, sic trahere illum, ut semitam faciat transitus tui, per quam semitam extrui [c] facias muros, et hanc civitatem veteramnam [d] et pene mortuam suscitabis in juvenulam, et tui nominis vocabulo decorabis, ita ut reginam illam facias omnium urbium. Erit in illa [e] nomen Domini nostri Jesu Christi magnificum, et erunt in ea templa Dei ad honorem omnium Sanctorum instructa, et filii tui post te, et filii filiorum tuorum regnabunt in ea. Evigilans autem Constantinus statim ad ecclesiam pergit, indicavitque episcopo civitatis viro sanctissimo somnium prius quod viderat, et secundo offert Deo munera, et communicatus sacramento dominico, [f] ascendit equum, et perrexit quo eum duxit Angelus Domini, atque per semitam labari fundamenta circumierunt [g]. Appellata civitas est [h] Constantini, quæ Graeco sermone Constantinopolis dicitur usque in hodiernum diem.

^a De Fori Pompilii per [i] Grimoaldum, Regem Langobardorum, destructione. ^a 1/

CAP. III.

Post gloriosum Virginis partum anno dccc [k] (17) cum Grimoaldus Lombardorum rex, qui Albino (18) successit, Italiam, Campaniam, Apuliam præter [l] Romanam, Ravennam et Faventiam, sub suo subjugasset regno, aedificare suo nomine forum constituit. Pompilia vero civitas, quam Pompilius Romanorum nobilis homo, et regali stirpe genitus [m] urbem vocat, cepit esse (19) rebellis. Eam in Romanorum odium [n] quia eis favebat, sicut rite debuerat, obsedit. Quæ habita, accusans Pompilienses cives, quod suos in Apuliam tendentes impedissent legatos [o], totam ergo civitatem ultrici flamma combussit, et funditus aedificiis et turribus in terram prostratis, numquam suo tempore voluit reaedificari. Quo defuncto, Faventini in Romanorum servitio, conferentes eis in lignis, victualibus et aliis necessariis, eam reedificaverunt. Quæ postea reaedificata, sicut vetustissima referente fama [p] accepimus quæ usque ad nos manavit, ad instar oppidi permansit ad tempora multa (20).

[a] urbe Roma, sic lego ex C. V. In C. M. habetur *urbe regit*; quod absque dubio error amanuensis est. Huiusmodi errores saepe occurrunt, ostenduntque Cod. Manfr. non esse auctoris manu exaratum. [b] Angelus Dei. Sic l. Cl. Mitt.; C. vero V. habet *domini*. — [c] semitam extrui. Sic. Codd. — [d] Civitatem veteramnam. Sic codd.: *veteramnam* hic sumitur pro *vetustam*. — [e] Erit in illa, Codd. Non legendum et in illa. — [f] et communicatus sacramento dominico, sic legendum puto. C. M. videtur habere *communicatis*; C. V. *communicans sacramento dominico*; Cl. Mitt. legit *communicans sacramenta dominica*. [g] Circumierunt, C. M.; creverunt C. V. — [h] Appellata est, C. M.; et appellata est C. V. — [i] De Fori Pompilii per etc. Titulus deerat; quare caractere diverso expressum addidimus. — [k] Anno dccc. In C. M. deest anno. — [l] Italiam, Campaniam, Apuliam præter etc. Similia leguntur in Cap. I ad n. 11. [m] Romanorum nobilis homo et regali stirpe genitus. Fere iisdem utitur verbis in cap. I, ubi de Flavio loquitur Tolosanus. — [n] in Romanorum odium, C. V.; in Romanorum odio C. M. — [o] Impediissent legatos fere eadem verba videre est in Cap. I ad n. 12. — [p] Referente fama accepimus. Deest in Codd. accepimus; sed ita supplendum duximus, ut sensus rite procedat. Totum hoc tertium caput in Codicibus Manfrediano ac Viaraneo, in quibus ordine est nonum, adeo perturbatum est, ut nullo modo cum ceteris capitibus comparari possit. Quamobrem, ne, in eo emendando restituendoque, licentia nimia me usum

^b [h] edificavit suo nomine, forum constituit.

cf. Paul. Diacon. V, 27